



# Disputatio juridica inauguralis continens juris illustres quaestiones

<https://hdl.handle.net/1874/343252>

27

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
CONTINENS

# JURIS ILLUSTRES QUÆSTIONES,

Q U A M

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ Anatomes & Botanices Antecessoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academici consensu , & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto ,

PRO GRADU DOCTORATUS ,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis ritè consequendis ,

Eruditorum examini subjicit

ABRAHAM ALEWYN , Amst. Batav.

Ad diem 19. Octobris , horâ locoq[ue] solitis.



TRAJECTI AD RHENUM ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academie  
Typographi , c[lo] lcc Lxxxv.

*Nobilissimis amplissimisque VIRIS  
ac DOMINIS,*

- D. JOHANNI REYNST , Domino de Drakesteyn,  
Vuurft, &c.  
D. ANDREÆ BERNARD , Societatis Indicæ Orien-  
talis præfecto.  
D. JOANNI CABBELJAUW , omnibus hisce  
Avunculis affinitate mihi conjunctissimis , plurimum-  
que venerandis.  
D. DANIELI BERNARD , Domino de Catten-  
broek,&c.ad negocia mensæ argentariae Deputato, Patruo  
affini reverendo.

UT ET

*Viro Gravissimo*

- D. JOANNI de VRIES , Civitatis Amstelodamen-  
sis Senatori atque Ex-Scabino amplissimo , nec non  
ejusdem Societatis præfecto , itidem Patruo affini di-  
lectissimo.

*Denique Viris Consultissimis Prudentissimis ,*

- D. GERARDO NOODT , JCto. & in Academia  
Rheno Trajectina Professori Juris Ordinario celeber-  
rimo.  
D. JOANNI de VOGELAER , J. U. D. amico  
suo charissimo.

*Inaugurale hoc exercitium venerabundus*

D. D. D.  
ABRAHAM ALEWYN.  
AUTHOR.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

CONTINENS

# JURIS ILLUSTRES QUÆSTIONES.

QUÆSTIO I.



Mptio Venditio est contractus bonæ fidei, solo consensu initus *Arg. pr. Inst. de obl. ex cons. quo merx, vel res aliqua certo pretio permutatur. l. 5. §. 1. ff. de præst. verb.* Hinc videre est, sine re aut pretio, nullam consistere venditionem. *l. 2. §. 1. ff. de cont. empt.* Præterea uti emptio venditio sit, requiri utriusque contrahentium consensum *l. 9. ff. de cont. empt.* Id vero cum ita sit, exoritur ances arduaque quæstio, an error in materia vendita emptionem vitiet? quod negari haud potest: *l. 9. & 10. ff. de cont. empt.* consensui enim, quo constat emptio, contrarius est error. *l. 15. ff. de Jurisd. l. 116. §. 2. ff. de R. f.* in primis si erretur in materia, toto genere diversa, ut si æs, aut orychalcum pro auro vendatur, tum enim non valet emptio. *l. 45. & 14. in fin. ff. de cont. empt.* sic etiam, si ego

A 2

me

## DISPUTATIO JURIDICA

me puerum à te emere existimo, & tu mulierem venderes, nulla emptio, nulla erit venditio. *l. II. in fin. ff. eod.*, si autem materia, in qua erratum est, toto genere non est diversa, sed una species altera melior, ut si vilissimum aurum vendatur pro optimo, ita in animum induco meum, valere quidem emptionem, sed judico, quod vendor tenetur emptori, quanti ejus interest, deceptum non esse. *l. 21. §. 2. ff. de act. empt. juncta l. 62. §. 1. ff. de cont. empt.*

## I I.

Quoniam maleficia impunita remanere non debent, rei publicæ expediens est ut maleficia puniantur. *l. 51. §. 2. ff. ad l. aquil.* Intricata quædam exoritur Quæstio, an ex nuda rei confessione, cum de ipso delicto non constat, rectè fiat condemnatio? quidam in ea sunt sententia, confitentem absque ulla distinctione condemnandum esse, quod comprobare videntur. *l. 8. Cod. de l. Jul. de vi publ. & l. 16. Cod. de pœn.* Quidam, eam animo imbibo sententiam, quod confitenti de maleficio non semper fides adhibenda est, quia plerumque quidam metu, aut quâ alia de caussâ, in se confitentur. *l. 1. §. 27. ff. de quest.*

## I I I.

Disputant doctores Juris, num usucapio pugnet cum æquitate naturali, & secundo tertioque juris præcepto refrageatur? illorum autem sententias amplecti nequeo, quorum mentibus inolescit usucaptionem contra æquitatem naturalem, & contra jus civile, ejusque Regulas introductam esse: quamvis enim usucapio alium reddat, cum domini veri damno locupletiorem, quod contra æquitatem naturalem est. *l. 14. ff. de cond. indeb. damnum* tamen, quod verus rei dominus hac in re patitur, vel sentit, suæ negligentiae imputare debet, qua passus sit statuti temporis spatium præterire, domino ad inquirendas res suas concessum. *l. 1. ff. de usurp. & usuc.* usucapio enim tribus ex causis introducta est. 1. *Ne quarundam rerum diu & fere semper incerta essent dominia.* *l. ead.* 2. *Vti esset aliquis litium finis,* *l. 5. ff. pro suo.* 3. *Introducta est in dominorum odium res suas negligentium:* *non enim negligentibus subvenitur, sed necessitate rerum impeditis.* *l. 16. ff. ex quib. caus. major.* legem autem promul-

## INAUGURALIS

mulgavit legislator, qua cautum, uti res mobiles per triennum, immobiles vero per longi temporis possessionem usucapi possent idque inter praesentes, (qui in uno loco & eadem provincia domicilium habent) decennio; inter absentes qui in diversis, vicen-  
nicio. l. nn. Cod. de usucap. transf. Si interim, verus rei dominus a posseſſore, qui justo titulo, justaque possessionis cauſa posſe-  
derit rem, non vindicaverit, amittit ejus rei dominium, nemo enim intelligitur dāminū pati, qui illud culpa sua sentit l. 203.  
ff. de R. J. patientia enim, & silentium Veri domini, pro tacito habetur consensu. l. 28. ff. de verb. sign.

## I V.

Querunt Juris interpretes, an augmentum rei legatae, vel eiusdem diminutio ad legatarium pertinent? mea fert opinio, in legato, quod univerſitatis est, hoc ita procedere, si enim grex legatus fuerit, etiam eae oves, quae post factum testamentum, gregi adjiciuntur, legato cedunt. l. 21. ff. de leg. 1. ita quoque, de fundo. l. 8. eod. idem dicendum si ædes legentur, nam columnæ & marmora, quæ post factum testameitum adjiciuntur, legato cedunt. §. ædib. Inst. de legat. per columnas & marmora veteres significarunt omnia, ædibus juncta. l. 41. §. ult. ff. de leg. è contraria si totus grex legatus fuerit, & postea ad unam pervenerit ovem, quod superfuerit, vindicari potest. §. 18. Inst. de Leg. at quidam tamen argumentantur ex l. 88. 78. §. 4. de leg. 3. & ex multis aliis, in quibus mentio sit, de lana legata, & ex ea vestis confecta: vel ex sylva legata navis ex structa, aut ex marmore legato, statua confecta, quibus in rebus, ajunt legatum extingui. His suffragamur; sed, qui ex his probare conantur rei legatae augmentum legatario non deberi, in maxima errorum foeditate versari, meritò arbitror: etenim exempla, in dictis legibus adducta, proponunt ejusmodi casus, quibus species legata extincta erat, ita, ut illa ad priorem suam formam redigi non posset, quo casu legatum non debetur. At, si prior species, quæ legata erat, non extincta sit per accessionem subsequentem, legatum extinguitur nequit: Hinc si quis massam auri vel argenti legaverit, scyphi ex ea massa confecci maxime debentur. l. 88. §. 3. de leg. 3. modo constet, testatorem voluntatem non mutasse. l. 44. §. 2. de leg. 3.

A 3

V. Con-

## DISPUTATIO JURIDICA

V.

Contenditur, si eveniat, uti bonæ fidei possessori mala superveniat fides, an hanc ob caussam usucatio rescindi queat? ne-gantium partem feligo. Jure enim Civili ab initio tempore sc: rei tradendæ, tantum requiritur, uti bona fide quis rem receperit, non enim cogitur, si postea cognoverit rem esse alienam, domino deferre. l. 10. ff. de usurp. & usuc. & l. 48. §. 1. ff. de acq. rer. dom. & traditur in §. 7. Inst. H.T. bonam fidem defuncti, ejusque possessionem continuare in heredem, quamvis heres non ignoret, alienam esse, unde sequitur bonam fidem sufficere in principio usucacionis.

V I.

Controvertitur in crimine læse Majestatis, quod adversus principem committitur, vel rem publicam, neminem superiorem recognoscentes, an solus conatus puniatur, & pro Crimine sit? affirmantium placet sententia per l. 5. Cod. ad leg. Jul. Majest. in hoc enim crimen, propter delicti atrocitatem, nudus conatus, si sit per actum aliquem externum manifestatus, acer- rimis coercendus suppliciis, imo & ipsum silentium, quo quis hujus Criminis conscientia, id celat, nec detegit. Perez. in Cod. tit. ad leg. Jul. Majest. num. II.

V I I.

Disputant doctores, an is, qui factum promisit, ad facti præstationem præcise teneatur! quod negamus, sufficit enim, uti præstet id, quod stipulatoris interest. l. 72. ff. de v. o. Ratio hæc est quod in obligatione dandi, nihil aliud insit, quam ut res detur l. 11. §. 2. ff. de act. empt. sed in obligationibus facti illud inest, uti, vel quod promissum est, fiat, vel interesse præstetur l. 81. de v. o. licet enim stipulatio stricti juris sit, & prop- terea factum, in obligationem deductum præcise videatur præstari debere, & quamvis ex ipsis verbis videatur factum promisum, ex sententia tamen contrahentium pecunia promissa intel ligitur, si factum præstari nequit.

V I I I.

Quamvis res, quæ extra commercium est, vendi possit, & actio emptori detur, ad consequendum suum interesse, (si igno rans

## INAUGURALIS.

7

rans sit emptor, rem extra commercium esse *l. 4. 5. 6. & 70. ff. de cont. empt.*) si tamen aliqua res, quæ extra commercium est, in stipulatum deducatur, adeo nulla erit stipulatio, uti nec ejus æstimatio debeatur. In stipulatione enim requiritur, idque agi necesse est, uti dominum rei transferatur in stipulatorem *l. 75. §. ult. ff. de v. o.* ideoque nulla stipulatio est rei dominio exemplaræ, atque ita nec ejus debetur æstimatio, sed in emptione vendor, non tenetur præcise, uti emptorem dominum faciat, sufficit enim de evictione eum obligari. *l. 11. §. 2. ff. de art. empt.* quod ideo introductum est, ne impeditetur commerciorum libertas. Sed res, extra commercium in stipulatum deducta, non debetur, quia idem est non stipulari, & contra leges stipulari. Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum, inter eos intelligitur subsecutum, qui contrahunt, lege id prohibente. *l. 5. Cod. de legib.* impossibilis enim conditio, non solum cui natura, sed difficultas & impotentia præstandi impedimento est, stipulationem vitiat. *l. 7. ff. de v. o.*

## I X.

Perturbata est quæstio, & satis, propter distinctiones, ardua difficultisque, an contractus, dolo initus, ipso jure sit nullus, an vero ad eum enervandum, redigendumque in nihilum, opus sit adhibere exceptionem. Nos hac in re distinguimus, inter contractus bona fidei ut, si his caussam dederit dolus, & quis doloso Consilio inductus sit ad contrahendum, qui alias non fuisset contracturus ipso jure contractus sit nullus, nec actione, vel doli egeat exceptione ad sui rescissionem. At in stricti juris contractibus, sive his caussam det dolus, sive post incidat, ipso jure contractus subsistit, sed circumscriprio strophaque in eo patrata, vindicatur atque corrigitur, vel doli exceptione, vel actione. *l. 22. & 36. ff. de v. o. junct. l. 5. Cod. de inutil. stipuli.* Quamvis enim huic distinctioni objici posset, quod venditio dolo contracta, ipso jure nulla non sit, sed rescindatur: ut appareat ex. *l. 5. Cod. de ref. vend. & l. 13. §. 4. ff. de art. empt.* tamen non erit difficile talem nodulum dissolvere, respondendo, illam rescissionem fieri officio judicis, & non, ope exceptionis, ita ut nihilominus verum maneat, ipsum contractum bona fidei.

8 DISPUTATIO JURID. INAUGUR.

dei sc., cui dolus caussam dedit, ut supra, jure non subsistere: in dolo enim consensus non est, quia aliud agitur, aliud dissimulatur. *Bronck. Cent. I. Aſſert. 57.*

X.

Quæritur, si navis, fune rupto, vel cum à nemine regitur, in aliam incurrat navim, eique damnum det, an tum nulla actio aduersus dominum navis detur? respondemus cum l. 29. §. 2. ff. ad leg. aquil. agendum non esse cum domino: casui enim potius adscribendum, fortunæque aduersæ, quo navis, vel ventorum turbine, aut alia ratione abrepta sit: quod in mulionibus contrarium est, mulio enim nomine culpæ tenetur, si mulorum impetu, quos ex infirmitate retinere non potuit, damnum factum sit, quia in se receperit, quod propter imperitiam infirmitatem suam agere non potuit. l. 8. §. 1. ff. ad l. aquil.

X I.

Quæri solet inter Juris interpres, an creditor non teneatur in se recipere particularem solutionem? quidam statuunt creditem teneri, quod probare conantur l. 8. ff. si pars heredit. & l. 21. ff. de rebus cred. quoad me, reor creditorem non teneri recipere particularem solutionem. l. 41. §. 1. ff. de nsuris rationem ejus defumpsi, ex l. 3. ff. fam. ercise, ubi legislator ait, *sape & solutio & exactio partium, non minima incommoda habet.* Et respondeo ad dictam legem 8. ff. si pars hered. & l. 21. de reb. cred. distinguendum esse, inter debitum, quod plane liquidum est, de quo mentionem facio, & inter illud, quod pro parte liquidum pro parte illiquidum est, hoc enim casu judex actorem cogere potest, uti liquidam recipiat partem, illiquidam verò partem judicio persequatur. Licet enim creditor possit exigere partem debiti ab invito debitore, l. 17. §. 4. ff. commodati. exinde tamen non sequitur, invito creditori partem debiti solvi posse. Diversa enim ratio est & debitoris & creditoris, nam in creditoris favorem introductum est, ne partem debiti cogatur recipere invitum, propter incommoda quæ inde sequuntur: debitor autem è contra nullum damnum patitur, si ab illo pars debiti exigatur. Obligatio autem tollitur solutione ejus quod debetur. Cum verò aliud pro alio solvit, fieri non posse interpretandum nisi consensu creditoris. *Bronckb. Cent. 4. aſſert. 63. & Fachin. lib. 10. cap. 59.*

F I N I S.